



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Nuditas interna quænam necessaria: vitæ Christi vtî anima se conformet:
quas item solas imagines assumere debeat: vitæ abstractæ quæ
necessaria sint. Can. XXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Opera ex-
terna quan-
do interna
non impe-
diant.

amorem aut delectationem carum menti tuæ impræferis. Quapropter noli con-
queri, quod opera bona externa in amore aut exercitio amoris te impediunt. Ne-
que enim ita est vt tu æstimas. Hæc namq; non impediunt, sed inordinatio tua, in-
discretio tua, instabilitas cordis tui, curiositas tua, infirmitas tua, & mala inclina-
tio tua: quibus omnibus quia nondū emortua es, tere impediunt. Hæc enim faciūt,
vt non modo foris, sed intus etiam occupes te cum creaturis. Porro, mēs multipli-
cata, diuisa atq; dispersa, mihi nequaquam potest adhærere, imò ne in seipsa quidē
stabilis ac tranquilla cōsistere. Cæterū, si tamen charitate fraterna aut obediētia
compulsa etiā in interiori homine fueris occupata & inquietata propter me, noli
contristari. Ego enim quicquid mei causa neglexeris, cito possum resarcire & cum
fœnore refundere, vt postea tanto mihi vicinius suauiusq; coniugaris, quanto pu-
tabas te elongatam. Verūm si ita te inueneris distractam atque elongatam à me, vt
collecta ad me redire, aut eleuare mentem tuam nequeas, disce quod non sola cha-
ritate purè propter me digressa sis, sed inclinatio tua propria simul te vitiauerit,
aliquid quod in te latuerit, te mouens, quod ego aut cuius causa & occasio ego non
eram. Non igitur fuisi satis circumspēcta & vigil, propterea humani aliquid passa
es. Veruntamen noli aliena manere, nec elongari à me, quia denuo recipiens reci-
piam te. Versetur itaque cor tuum semper in pijs desiderijs, vt minimū tempus nō
prætereat, quo me sagittis desideriorum tuorum ignitis non vulneres. Scio filia
nihil à me frustra potes desiderare. Si me desideras, me inuenies. Qui si me etiā sub-
traxero, aut ad tempus dissimulauero, tui causa & in bonum tuum id facio. Neque
enim possum me nō cōmunicare petētibus. Ego desideria tua excito, ego cordi tuo
inspiro, ego etiam exaudiam. Nam & s̄ ad mortem vsque etiam mea dispensatione
ageretur, vt in exaudita manerent, impossibile tamen est orationem piā me pe-
nitus non exaudire, sed tunc centuplo reddam. Tunc senties me pro vno mille re-
tribuentem, tunc exauditam te inuenies, quando iam non potes iterum amittere.
Inter omnia autem quæ petis hoc vnum præcipuumq; fit, vt me habeas. Quid enim
magis pium, quid magis mihi gloriosum, quàm super omnia & præ omnibus desi-
derare me? Ora igitur semper pro nuda, sola, pura, castissima, perfectissima, inten-
sissima, fidelissimāq; charitate, qua tu omnisq; creatura rationalis perpetuo ina-
uertibiliterq; mihi inhæreat.

Cor homi-
nis in quo
super verba
debet.

Orautes piè
vt Deus
semper ex-
audiat.

*Nuditas interna que enam necessaria: vitæ Christi vt̄i anima se con-
formet: quas item solas imagines assumere debeat: vitæ ab-
stractæ que necessaria sunt.*

CANON XXXIX.

Sime vis ò anima totum obtinere, necesse est totam te relinquant, totam exeat.
Oportet resignes te ad extremam paupertatem & carentiam omnis commo-
di solacijsq; temporalis, pro summo bono obtinendo. Itaque confortare &
consolare, quod sis priuata consolatione humana, quod omni etiam hu-
mana amicitia, fauore atque subsidio careas. Vide quomodo miles strenuus, ami-
cos, patriam, uxorem, filios, omnem deniq; tranquillitatem, requiem ac commo-
ditatem suam posthabens relinquit, & laboribus, itineribus, vigilijs, ærumnis, pe-
riculisq; vitam suam peregrinus exponit, vt diuitias honoresq; conquirit.
Hoc modo te quoque oportet omnia relinquere, expoliari, pauperem fieri, atque
nudari

nudari ab omni solatio, ab omni creatura, vt præter me nihil tibi remaneat, in quo tu quiescas, aut q̄ te possideat. Ad hæc creaturarum quoque formas, imagines, atque memorias rerum à te excludere oportet, & mentem tuam ab his enudare, & mei solum imaginem vbicunq̄ fueris, tam sola, quam inter homines tecum circumferre. Proinde siue comedas, siue bibas, dormias aut loquaris, me semper inspice tanquam speculum & perfectissimum exemplar vitæ tuæ, vt vitam tuam quoque constituas ac transformes secundum virtutes & mores vitæ meæ. Si comedis, omnes morsus in vulnera mea intinge. Si bibis, ex vulneribus meis calidum sanguinem, charitatem spirantem sume. Si loquaris, me aspice verba tua audientem, & caue ne mihi non placentia, & ne mihi difformiter loquaris. Si taces, audi me tibi loquentem, & vigil scrutare quæ sit voluntas mea beneplacens & perfecta. Si dormis, super cor tuum me reclina, vulnere cordis mei os tuum applicans, & spiritu tuo gratiam meam in te trahens, atque respirando cordis tui medullas in me refundens. Itaque vbicunq̄ fueris te ipsam rege & ordina secundum exemplar nobilissimum atq̄ perfectissimum, q̄ in me vides: inspiciens ac imitari gestiens verecundiam, profundissimamq̄ humilitatem meam, blandissimam mansuetudinẽ, tranquillissimam mititatem, fortissimam patientiam, purissimam castitatem, liberalissimam pietatẽ, fidelissimam prouidentiam, compassionem misericordissimam, & feruentissimam amplissimamq̄ charitatem. Hæc imaginẽ tibi imprime, illa mentẽ tuã imple, & imagines aliarum rerum omnes per hanc à mente tua excludere. Nolo enim te sine omni esse imagine, nec ante tempus altius te volare, sed hic interim in humanitatis passionisq̄ meæ imagine quiesce, donec ego te prouoham, vbi careas nuderisq̄ ab omni forma & imagine, ab omni exercitio & actione, à te ipsa deficiens in silentio & quiete.

Itaque semper interim præsentiam meam & quomodo ego abditissima quæque tua & intima secreta tua videns penetro, cogita: nec solum cogites, sed discas etiam sentire præsentiam meam, qua te semper video, semper inspicio, semperq̄ penitissimè te & omnia tua cognosco. Discas, inquam, in te ipsam sentire, quam sim in circumscriptione, æternam, immensam, incomprehensibilem, incommutabilem lumen, quam sim totus amabilis, totus desiderabilis, sincerus, & quouis minimo malo aut defectu impermixtus: item quam sim totus bonus, in quo nihil possit non amari aut non placere, totus fidelissimus, totus misericordissimus, mei ipsius largissimè cõmunicatiuus: quam sum de niq̄ omnibus beneuolentibus, omnibus amantibus in me sperantibus amator constantissimus, ac fidelissimus, consolator suauissimus, protector potētissimus, ditissimus copiosissimusq̄ remunerator, super omnia desiderata reficiens, nec fastidium prouocans, sed omnia desideria satians, satiantesq̄ desideria accendens. Hæc imago impleat mentem tuam, vnde quicquid phantasmatum aliorum inciderit, mox vt occurrit, à te proseribas, omnibus negans assensum. Vide illas ne intra te recipias, sed mihi soli interna solitudine, interno silentio, interna pace tranquilla vaces: me indefinenter præstolans expectabunda, quid te agere velim, quid pati, imò & quid in te velim agere, quid tecum, vt in omnibus mihi acquiescas, me sequaris, me sustineas. Ad id autem esse debes à te ipsa exuta, hoc est, ab amore & inclinatione propria erga te ipsam, vt animam tuam rationalem atque intellectualem, quasi iam alienam aut separatam corpore nihil moueat, an homo suus exterior asque sensibilis

Tu 4 laudetur,

Nuditas interna quæ nã necessaria.

Conformare se vti debeat anima vitæ Christi. Rom. 8. 29.

Imaginẽ quamquam anima sibi imprimere debeat.

Anima vt Deum in se sentiat.

Vita abstra-
cta quana
necessaria
fiat.

laudetur, an vituperetur, patiat, an consoletur, sed à longè illum respiciat, ad me
suspensa, mihiq; vnita. Pro hac autem abstractione obtinenda (quod supra monui)
necessarium est vt ante super teipsam vigiles, summopereq; te obserues, quo dif-
cernere deprehendereq; confestim quæas, quid in intimis tuis lateat, quid te mo-
ueat, quid trahat, quid alliciat, quid te occupet, quid fatiget, quid sollicitet, quid in-
clinat, quid deniq; ames aut intendas, an ipse tu sis, an creatura alia, an ego. Ea pro-
pter quicquid huiusmodi aliquid quod ego non sum, aut cuius ego causa non sum,
deprehenderis, mox eijcias oportet: huius enim es quod te possidet. Ego verò no-
lo cum socio amari, sed solus in te quiescere cupio. Atque idè nisi me solum que-
sieris, nunquam perfectè inuenies.

Omnes igitur creaturæ à te recedant, nullum medium in te finas, nullum im-
pedimentum, nulla maneat dissimilitudo, vt præter solum merum necessariumq;
sui vsum omnis creatura à te proscribatur, nulla intus in corde tuo locum sibi
vendicet, nulla cor tuum occupet, vt nudam liberamq; te mihi serues, & ad omnem
voluntatem meam te mihi relinquant.

Cæterùm, quicquid tibi acciderit, satis est vt accidisse senseris. Amplius te cum
illo non occupes, nec finas in te illud morari aut sui speciem memoriamve relin-
quere: sed projice in me, & mihi tui omnemq; curam committe, omnem multi-
plicitatem ac mutabilitatem prætergredere ac transuola, & nusquam præterquam
in me solo subsiste. Itaque me solum, & in omnibus vnum quære, longanimitery
dum inuenieris, deuoty ac iterum dum inuenieris, præstolare plena fide, super mea
bonitate ac sapientissima beneuolentissimamq; providentia innitens. Vbi si moram
fecero, expecta quia veniens veniam. Hoc modo & anima desiderijs proprijs
omnibus exuta, ab omni amore ac delectatione creaturarum libera, ab imaginibus
& phantasmatis aliena, in simplicitate ac nuditate cordis, perfectè mihi
inhæreas, teq; mihi abs te possidendam offeras & relinquant: stesq; mecum in illo
nunc æternitatis, vbi nec præteritum, nec est futurum. Ad illud. Nunc modo sem-
per aspira, omnia & teipsam quoque, hoc est, corpus tuum & sensualitatem tuam,
in isto nunc æternitatis respiciens, mortifica, abnega, & relinque. Quasi enim ab ijs
separata aut extra mundum esses, omnia quæ in mundo sunt, à longè, ac veluti
abs te relicta, atque iam tibi aliena, intueres. Cogita te solam esse mecum, & me te-
cum, & quasi nulla tecum alia creatura foret. Quicquid præter me aliud sentis,
nihil æstima, quia reuera & extra me nihil est. Pari modo nulla tibi creatura no-
cebit, modo phantasias, imaginationes, rerumq; siue curas, siue affectiones intrate
non receperis.

Hebr. 2.

Simplex &
nuda vt a-
nima fiat.
Nunc æter-
nitatis quæ
fiat.

EPILOGVS.

*Vti anima fidelis in prædictis institutionibus sese indies exer-
cere, easq; velut speculum ob oculos interiores ingiter
constituere debeat.*

CANON